

AS 25. #
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS
**MORBOS AB ACIDO
SEU NOXAM ACIDI IN
CORPORE HUMANO.**

QVAM,

AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
IN PERANTIQUA HIERANA CONSENTIENTE,

SUB PRÆSIDIO

**DN.D.JOHANNIS ANDREÆ
FISCHERI,**

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. FACULT. MED. SENIORIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. ORD. NEC NON MED. PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

**PATRONI, PROMOTORIS ET TRIBUS AB HINC LUSTRIS
PRÆCEPTORIS SUI,
PLUSQVAM FILIALI OBSERVANTIA AD CINERES USQVE
COLENDI,**

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,
PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI EXPONET,
AUTOR ET RESPONDENS

CAROLUS FRIDERICUS Greitenbach/

Erfurto-Thuring. Med. Practic. Lipsiens.

AD DIEM XXIII. FEBRUAR. ANNI M DCC XX.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSUETIS.

FORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

*Patholog. 173 v. Acciditer
v. studiorum v. normali*

diathol. gen.
2252, 6.

DEO
PATRIÆ
ET
PATRONIS
SACRUM!

DISSERTATIONIS HUJUS INAUGURALIS
PRÆSES,
NOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
BREITENBACHIO,

Patritio-Erfordiensi,

*Suo quondam ultrà triennium in Philosophia, Eloquentia
& Medicina Auditori seduio, nunc supremorum honorum
Doctoralium Candidate dignissimo*

Eugenius!



Uemadmodum olim Argonautis,
aurei velleris desiderio flagrantibus, adeundum erat longi temporis iter, juxtaque frementis occani periculum subeundum: Ita nec illis, quibus scientiæ Medicæ auro potiri cura cordique est, modicus labor, aut unius alteriusve anni experientia sufficit: Nam & Medicina æquor est. Æquor rerum amplitudine vastum, profunditate immensum, præjudiciorum procellis æstuans, vanitatum fluctibus tumens, absurditatum monstris terribile, errorum syrtibus periculoseum. Quis vero salvus tot eluctabitur difficult-

)

ficul-

ficultates : nisi valido amusitati judicii conto
instructus, industriæ remis velisque adjutus, di-
vini maximè auxili FAVORIO provehatur. At-
que ideo Tua quoque, Nobiliss. BREITEN-
BACCHI, haud parum commendanda sedulitas,
quando post tria demum lustra cursu Academi-
co emensa, Parnassum Hieranum appulisti, &
purpuram hinc Doctoralem venisti deporta-
tum. Macte hac virtute, Amice honorande,
& gentilitii nominis Tui memor, amplificare
porrò laudem scientia Medica partam conten-
de, ut famam tandem Celeberrimi RIVINI, quem,
ut suum Tournefortium Gallia, Batavia Her-
mannum, sic nostra Germania Botanicorum
ocellum veneratur, quam proxime assequaris.
Ego vero Tuis applaudo honoribus & opto,
ut Tibi Lipsiam redeunti, Saxonici gynæcei
Flora Echium Amoris porrigat, & venusta
quædam Sophia, Chirurgorum illud solatium
nobile, casti amoris vulnera svavi Hymenæo
obliget obliniatque. Vale. Dab. è Musæo
VIII. Calend. Mart. Anni current.

Jam

* * * *

PRæmia summa paret Medicus titulosque necesse
est,

Ut queat ægrotos arte levare sua.

Propterea vitio poterit Tibi vertere nemo,

Quod tibi nunc pateris sueta brahea dari.

Haud equidem parvum pariunt nomenque decusque,

Te, tamen illa, novo vindice, majus habent.

Lætor ego, partum simul & gratatus honorem,

Ut Tibi conciliet commoda mille, precor.

D. AUGUSTUS QVIRINUS RIVINUS,

Facultatis Medic. Lipsiensis

Decanus.

JAm tibi victori consurgit gloria Lauri
Et quæ promeritus præmia digna capis.
Non procul est merces, venit ex virtute Corona
Laurea, quâ cingit gratus Apollo caput.
Pectoris ergo Tibi grator penetralibus imis,
Utilis ut Patriæ sis, pariterque tuis.

*In honoris & favoris signum Nobiliss. &
Doctiss. Dn. Doctorando ita ex animo
gratulatur*

L. T. LUTHER, Med. D.
& Prof. Pub. Extr.

La-

* * *

LAbuntur tacitis altissima flumina rivis,
Atque trahunt undas nitido fulgore coruscas.
Amplius at spatum si contingit, illa strepentes
Diffundunt resono plaudentia murmure lymphas.
Haec tenus alta satis scrutatus flumina Pindi,
Et tacitis rivis tenuisti Palladis artes.
AMPLA sed expandis jam FLUMINA nescia strictis
Finibus arctari, aut consistere vallibus imis.
EFFUSUM FLUMEN jam factus in arte medendi,
Semper Aquam vitæ posthac ut TUTE propines
Ægris, ecce precor, nec non, ut FLUMINA famæ
AMPLA tuæ meritos & magna sequantur honores.


*Sic ex nomine familiæ ampliss. non vano augurio
futurum omen gratulabundus conjiciebat*

JOANNES JACOBUS ADELUNG, D.
& Pract, Erfurtens.





PROÆMIUM.



Nter omnes, quos à Veteribus
descriptos habemus morbos,
revera si accuratius rem per-
pendere, oculoque attentio-
ri examinare velimus, ferè
nulos adeo latentes, profun-
dius radices agentes tamque mala symptoma-
ta producentes curamque respuentes deprehen-
dimus, quam ex diathesi humorum acida tam
simplici quam mixta, originem ducentes. Cum
itaque acidum nominamus, nostri non est in-
stituti Wirdigii (a) sententiæ subscribere,
qui ubi de præternaturali spirituum constitu-

A 2

tione

(a) *Vid. Sebastiani Wirdigii Novæ Medicinæ spirituum Tract. Hamburg. 1688. edit. 12. L. II. C. 2. p. m. 27.*

tione agit, aciditatem causam omnium morborum existere, his verbis affirmat : *Data
hac occasione proponam paradoxum aliquod &
monstrabo unicam omnium morborum simila-
rium etiam, obstructionum, ulcerum &c. cau-
sam esse aciditatem vel luxuriantem vel defi-
cientem.* Neque (b) Helmontii opinionem,
qui acidum extra stomachum toti corpori ho-
stile esse judicat, nostram facimus : sed statui-
mus acidum tam in Ventriculo quam intesti-
nis aliisque partibus hærens multas producere
noxas. Quod denominationem causæ mor-
bificæ, cum hæc ad rem nihil faciat, attinet,
perinde nobis erit, si quis cum Veteribus ma-
teriam vel catifam frigidam, humorem melan-
cholicum, atram vel æruginosam, porraceam
vel isatoden bilem, si modo nobiscum con-
sentiat re, accusare velit. Quem enim latet,
digestionis imo totius nutritionis opus ex aci-
do p. n. in ventriculo hærente corrupti, quis
negabit inde sanguinis ordinatum motum &
consequenter secretionum naturalium nego-
tium

(b) *Joh. Bapt. Helmontii Ortus medicinæ. Amstel. 1652.
4. ubi de spiritu vitæ §. 19. p. m. 159.*

tium turbari, imo omnium partium debitās
actiones impediri? Neminem oculatiorum
certè hæc omnia inficias iturum arbitramur.
Si vero cuidam dubium oriatur, quomodo a-
cidum ad massam sangvineam, imo & remo-
tissimas partes, cum aliàs sapore omnes in di-
gestione prima in salsum mutentur antequam
eò abeant, rapi possit, isti respondemus, non
solum cum pituita conjunctum sed & volatili
permixtum, præcipue oleoso combinatum, eò
deduci. Cum autem hæc thesis ulteriorem
disquisitionem mereatur, eam pro speciminis
inauguralis argumento sumsimus. Præprimis
itaque supremum Numen submissis precibus
flagitamus, velit nostris conatibus ex alto be-
nedicere quo in ipsius gloriam, & proximi
salutem vergant.

§. I.

NE igitur dum tractationem morborum ex a-
cido oriundorum suscipimus, omnia confu-
sa atque inordinata fiant, lubet prius mor-
borum in ventriculo primisque viis hæren-
tium, dein remotiores partes afficientium historias da-
rē, & ultimo curationem subnectere. A eidum vero hoc-
ce morbificum, quod est substantia salina liquida aëtiva,

plus minus lixiviosa , rodendi & effervescenti qualitate praedita, occasionemque variis obstructionibus & convulsionibus suppeditans , ex fermento ventriculi aucto produci, nobis non arridet, cum jam ista hypothesis ab æstumatisimo Praeceptore meo D. D. A. Q. Rivino *Dissertatione peculiari de acido ventriculi fermento excussa*, & transmutationem ciborum digestione & concoctione absolvi demonstratum sit, ideoque statuimus istud simul cum esculentis & potulentis ingeri. Quot enim non assumuntur quotidie acetaria, ut brasifica muriatica, cucumeres muria & aceto conditi, quot non dulcia, faccharata & mellita, in fortissimum acidum promite degenerantia, facile fermentationi subiecta, ut fructus horæos, aliaque taceam, imo & unicus panis nimium fermentati esus sufficeret pro nimio in corpore nostro colligendo acido. Si potulenta examinemus vinorum genera primatum obtainere videntur, quibus non incongruè omnes cerevisiarum præprivatis dulciorum species adnectuntur , imo & copiosus per pravam consuetudinem introductus Thee & Caffee potus, ob adjectum in sat magna quantitate faccharum , causarum morbificarum remotiorum numerum adauget. Et si quis omnium in acidum degenerantium assumentorum catalogum recensere velit, materiam pro magno volumine conscribendo sufficientem inveniret.

§. II.

Sed ad rem. Inter morbos qui ventriculum adiuntur, dolor gravatus stomachi cum molestis torsioni-

fionibus aliisque symptomatibus nominandus venit. Duæ ad nostram hanc hypothesin firmandam præclaræ historiæ inveniuntur apud (c) Benivenium, qui refert, religiosam quandam cum febricitaret, & lac non coctum biberet, per aliquot dies pondus quoddam circa ventriculum & molestum dolorem sensisse, non prius cessantem quam lactis concreti particulas vomitu reddidisset. In secunda narrat, virum quendam jejuno stomacho lactis circiter libram potasse, sperantem alvum laxiorem futuram, quo non subsecuto molestis torsionibus ac doloribus circa ventriculum obortis, digito gutturi immisso, per vomitum duas lactis concreti magnas partes, pro numero haustuum quos sumserat, reddidisse, ac sic à doloribus circa ventriculum liberum evasisse. Gravioribus symptomatibus conjunctum affectum legimus apud Forestum (d) his verbis: Mulier quædam cum copiose flores lactis sive cremorem devorasset, vinumque rubrum stypticum superbibisset, nausea sine tamen vomitu cum ingenti ventriculi dolore, syncope ac anhelitus præfocazione correpta fuit. Quis itaque huncce affectum ex alia causa, quam ex coagulo lactis in ventriculo facto, ortum duxisse judicabit. Quo vero magis elucescat hocce coagulum nulla alia materia quam acida produci, lubet unicum adhuc subnectere historiam à Bartholino (e) notatam, quâ Phthisicum quendam communi

(c) Anton. Benivenii Med. Florent. exempl. Obs. ad C. 17. in annotationibus p. m. 121.

(d) Petri Foresti Oper. Francf. 1619. in Fol. L. 18. Obs. 13. p. m. 152.

(e) Miscellan. Natur. Curios. Decurr. I. Ann. 2. obs. 163.

muni consilio lacte usum, de inflatione ventris con-
questum esse meminit, qui, cum Empiricus Spiritum
Salis propinasset, oborto vomitu, caseum magnitudi-
ne pollicis efformatum, odore & consistentia caseum
referentem, reddiderit.

§. III.

Vulgaris & sic satis fundata regula est, ab aci-
dis appetitum ciborum excitari, quam & Veteres re-
spexisse mihi videntur, dum in Ancrexia julebos a-
cidulatos exhibuerunt ægris, neque incongrue in sub-
jectis biliosis id factum judicamus, quale vero impe-
traverint commodum, si sc. corporibus acido repletis
propinarunt, & annon majus inde productum fuerit
malum, aliis dijudicandum relinquimus. Depre-
hendimus enim a nimia quantitate hujus humoris gra-
vissimos morbos generari, quales sunt appetentia ni-
mia, fames carina, si quis instar canum cibum avidè
ingerit & paulo post per vomitum vel per secessum i-
terum reddit, & bulimus, cum post abstinentiam à ci-
bo non adeo diuturnam fame ita excruciantur af-
flicti, ut & lipothyæ superveniant. Appetentiæ ni-
miæ casum exhibuit Forestus (f) sequent: Frigidos suc-
cos puella ex esu fructuum horariorum in ventriculo
longo tempore collectos habebat, unde in ore ventriculi
frigus sentiens, immodece cibum appetebat, sæpe sentie-
bat in ore acidam qualitatem, ita ut cibi quoque in ven-
tre acescerent. Famis caninæ exemplum tale legitur a-
pud

(f) L. 18. Obs. 14. p. m. 153.

pud eundem : (g) Monacha quædam apud Delphenses, cum longo tempore cibum assumtum & in fine acida quædam & aqua evomeret, rursumque appetitu ad cibum sumendum incitata, eundem denuo redderet, causam internam ex ægræ relatu cognovimus, ex acido sapore oris , dum acida evomeret. Ejusdem tenoris est relatio à Diemerbrockio (h) his verbis data : Juvenula 30. annorum melancholica , subtristis, cibos falsos, fumo siccatos, acres, acidos, aliasque duræ digestionis edere consueta, per integrum annum ingenti fame laboravit , paulo post pastum omnia assumta rursus evomuit , quæ isto exiguo temporis intervallo adeo acida in ventriculo evaserunt , ut adstantibus valde acidum odorem offerrent, & ægra dicat illa sapore succi limonum aciditatem superare , quibus ejectis præ ingenti fame iterum edere cogitur , assumta vero paulo post rursus per vomitum reddidit. Bulimia cum cholera conjuncta afflictum describit Manget : (i) Juvenis 26 annorum melancholicus post longum multorum acidorum usum incidit in ingentem famem, quâ quotidie sexies septies & amplius cibum copiosum sumere cogitur. Post cibi sumptionem sæpe ventriculi sequitur dolor, quem deinde vel vomitus, vel alvi magnus fluxus lipothymiam sæpe inducens concomitatur.

B

§ IV.

(g) L. 18. Cap. 5. p. m. 138.

(h) Isbr. de Diemerbrock oper. omnium Ultraj. 1685. in Fol. editor. in Diss. Practicis. p. m. 66.

(i) Job. Jac. Manget Biblioth. Med. Genev. 1695. Fol. Libr. II, p. m. 269.

Ad Picam seu appetentiam absurdorum nunc progressum facimus. Et licet malam distinctionem animæ pro causa primaria assumamus, tamen secundariam acidum ventriculo inhabitans existere statuimus, de quo tamen postea dicendum, interim historias eâ affestarum recensemus, quarum nonnulli lapides, arenam, cretam &c. cum singulari voluptate assumserunt. De la Forge (*k*) scribit se nosse puellam quandam spectatissimæ virtutis, vehementi aviditate descendì lapillos laborantem, præprimis iis, qui aliquando lunæ expositæ fuere, eam ob causam quod savoris & jucundioris saporis fuissent. Oethæus (*l*) affirmat, in Cœnobio Schœnfeldensi ædituum quendam pluribus jani annis arenam avidissime & appetuisse & devorasse, ac inde magnam valetudinis commoditatem sensisse. Et Wolphius (*m*) asserit mulierem ætatis provectæ adeo ut non amplius pareret, quotidie solitam fuisse bonam partem arenæ non limosæ sed granulosæ singulis vicibus quantum pugno apprehendere valeret, comedere, tanto appetitu & delectatione ut etiam noctu vicinam lecto reponeret. Ettmullerus (*n*) notavit puellam quandam 15. vel 16. annorum ex retropulsione in febrem anxiosam malignæ similem incidisse,

(*k*) Ludovicus de la Forge in notis ad Ren. Cartesii Tr. de Homine Amstel. 1677. 40 p. m. 92.

(*l*) Jac. Oethæus L. obs. propr. apud. Joh. Schenckium Ffurti 1665. Fol. L. III. p. m. 320.

(*m*) Gasp. Wolphius apud cundem.

(*n*) Michael Ettmullerus Op. Ffuri 1697. Fol. Colleg. consultat. Cons. 3. p. m. 1299.

cidisse; quæ tandem difficulter curatæ, minus consueta appetere cœpit, præprimis cretæ subtilissimæ tritæ esu mire delectata fuit. Simillimum deprehendimus casum apud Oethæum. (o) in Monacho quodam in Diœcesi Fuldana, qui cretam continuo secum portavit & comedit. Tandem & Amatus (p) retulit, puellam 12. annorum facie pallida, corpore gracili, indiscretè lapillos, terram, calculos, cretam & varia similia maxima cum voluptate assumisse. Ex his itaque historiis colligo, primum personas recensitas per errorem degustasse talia, postea vero cum senserint exinde aliquod levamen, diminuta sc. quantitate acidi in ventriculo existentis eumque vellicantis, ista iterum assumisse, unde tandem prava consuetudo suborta est.

§. V.

Igitur demonstrato, appetitum ex nimia aciditate augeri & depravari, destrui quoque eundem ab acido posse, probandum est, id quod Forestus (q) testatur: Puella pituitosa, mali habitus, ventriculo frigido, pituita referto, unde ructus acidi & ventriculi inflatio subsequebantur, pituitam crudam sæpe evomebat, unde appetitus adeo lædebatur, dulcia omnia & unctuosa & insipida & omnem cibum tandem abominaretur. Et Timæus (r) scribit, Illustrem quen-

B 2

dam

(o) l. c.

(p) Amatus Lusitanus Curat. Medicinal. Buldigal, 1620. Fol. Cent. III. Curat 86. p. m. 335.

(q) l. c. orservat. 10. p. m. 146.

(r) Bald. Timæi à Guldenklee Cons. med., L, III, Cof. II, p. m. 97. Lips. 1715. 40.

dam Liber. Baron. suasu Chirurgi castrensis tempore
verno serum lactis caprini ultra mensem integrum
quotidie jejuno stomacho affatim hausisse , quo factō
ex materia frigida collecta primo appetitus imminu-
tus , post plane dejectus fuerit , cum insigni virium
jactura & languore totius.

§. VI.

Ultimo læditur ventriculus , quando aut materia
acida in nimia quantitate collecta ad ejectionem per su-
periora stimulat , vel etiam si ob nimiam acrimoniam
rodentem, pungentem & vellicantem ad vomitum co-
git. De quantitate abundante & per vomitum reje-
cta egregiam reliquit Coiter (s) historiam mercatoris
cujusdam Bononiensis , qui multoties cum omnium
Doctorum admiratione sponte duas ultra vini mensu-
ras (boccalia vocatas) bilis atræ ac acidæ magno cum
sanitatis emolumento evomuit. Qualitatis ad vomi-
tum stimulantis historiam afferre placet ex Benedicto:
(t) Quidam mane assumto cibo dolore stomachi vehe-
menti cum cruciaretur non coactus liquorem aceto si-
milem in tellure ebullientem spumantemque per vo-
mitum excrevit , quo factō statim dolor fuit mitiga-
tus. Hisce vomitibus si accedit alvi excretio conti-
nua præternaturalis Medicis Cholera audit , præpri-
mis si anxietates præcordiorum & animi deliquia con-
currunt.

(s) Volcherus Coiter Tabul. Anatom. Norimb. 1572. Fol. obs. Mi-
scell. Anatom. Chirurg. p. m. 121.

(t) Alex Benedicti Veron. Medic. de Re Medica op. Bas. 1549. Fol.
lib. 12. c. 9. p. m. 220.

runt. Hujus historiam expressit Montuus (*u*) quando refert, Henricum tunc Delphinum postea Regem Gallicorum factum Lugduni Anno 1542. Cholera morbo correptum, æruginosos humores adeo acres & rodentes evomuisse ac per alvum deposuisse ut pelluvia ac pelves argenteæ quibus excipiebantur variis coloribus videlicet luteo, cyaneo, præcipue floridissima æragine apparent infectæ, quos colores nulla lotio potuit delere. Huc tandem & spectat Diarrhæa, cuius ex vi ni potu productæ exempla bina legimus in Platero (*x*). Refert enim se in convivio quodam vinum creticum dulce paulo largius bibisse, à quo nocte illa ardor stomachi, calor præternaturalis cum dolore capitis afflixerit, debilitate ventriculi sitique aucta sequenti die supervenientibus, quibus consulturus in cœna & paulo ante denuo vini cretici sed parum admodum & vino communi diluti hauserit, ubi tota nocte conatum dejiciendi sensit, sed somno obrutus alvum retinuisse; mane vero copiose excrevit per alvum uti & nocte dieque altero & rursum nocte sequenti sedibus ad minimum triginta fuit vexatus. Alterum exemplum præbet Nobilis quidam nimio potu vini novi nondum defæcati Diarrhæa correpti ita ut singulis horis decies & amplius alvum deponere cogeretur. (*y*)

§. VII.

Tormina ventris ex acido quoque oriri & in infantib;
B 3

(*u*) Hier. Montuus in Halof. Febrium Lugd. 1558. 40. Libr. 4. c. 7.
p. m. 86.

(*x*) Felix Plateri Obs. L. III. p. m. 851, Basil. 1641. 80.

(*y*) ibid. l. c. p. m. 853.

fantibus cruciatus & ejulatus producere quotidiana docet experientia. Infantum enim ventriculus, quia crassioribus cibis digerendis insufficiens, unico lacte vel pulmentis ex lacte paratis nutritus, facilius laeditur acrimonia acida etiam levissima per lactis è mammis nutricis suctionem, quod ex fœcibus alvi viridescentibus, quæ ex concursu acidi cum bile hunc colorem contrahunt, judicatur. Ejusmodi historiam exhibit Langius: (z) Infans trium hebdomadum ægrotat, dum somno fruitur minus quieto, sed oculis paulisper clausis inhorrescit aut tanquam risurus os contrahit, mox cum vehementia exergefactus ejulare incipit, nec mammæ nec circumgestatio aut agitatio cunarum vel aliud quidpiam illi tranquillando sufficit. Nutrix refert, se fœces viridescentes cum ingenti ventris rugitu & inflatione observasse. Cum vero Colica à torminibus parum differat, libet historiam unam ex (aa) Ettmullero & quidem admodum periculosam ob conjunctionem Epilepsiam à dulcibus ortam addere: Juvenis Nobilis in adolescentiæ annis constitutus abdominis patiebatur tormina, ita quidem ut quoties dulcia, vel facile fermentabilia, tantillum licet horum comederet, doloribus colicis mox afficeretur. Cum dicto malo subinde etiam subitanè corripitur paroxysmis in quibus sensu & motu omni evanescente corruit, interdum utrumque conjungitur malum post dulcium esum.

§. VIII.

(z) Christ. Job. Langius Op. Part. II. Cas. 54. p. m. 339.

(aa) l. c. Cas. 16. p. m. 1376.

§. VIII.

Tandem & nominandum venit Malum Hypochondriacum, in quo tensio Cardiacæ fere similis deprehenditur, quam tamen si connexionem partium quis bene norit, facile dijudicare valet, cum in illo intestina potius cum ventriculo afficiantur, in hac vero Diaphragma cum coherentibus partibus. Causam hujus mali in aciditate positam esse inter se conveniunt Medici tam Veteres quam Recentiores, quare unicum tantum exemplum manifestum ex (bb) Langio addere animus est:

Vir 39. annorum texturæ tenuioris ac macilenta, ultra viginti nunc annos laborat hoc affectu: Primum conquestus est de alvi obstructionibus ita ut spacio 4. vel 6. dierum alvi excrements vix depone-re, aut semper tamen cum summa difficultate nil nisi fœces induratas exprimere potuerit; eō tempore vitam egit maxime inordinatam, fumo etiam induratis, acidis, falsis &c. usus est. Post hæc officio admotus multum sedere necesse habuit, quare imbecillitas aucta fuit, præcipue propter ventriculi & intestinorum inflationem, respirationem anhelosam, dolores capitis, melancholiam &c. His tamen appetitus non fuit imminutus, sed potius nonnunquam accrevit, & quia tunc temporis pestis grassabatur, loco præservationis quotidie acetum antipestilentiale &c. sum-sit, & postea sudavit, quo facto intra annum tempus totus debilitatus, tandem ex parte restitutus ita ut obam-

(bb) l. c. Cas. 23. p. m. 273.

obambulare suoque munere fungi posset, nisi quando vinum potaret aut cibis acidis uteretur.

§. IX.

Et mictionem lædi ex hacce causa morbifica quotidiani edocemur exemplis, interdum enim copiosior fit excretio, vel etiam potus, qualis assumtus fuit, iterum redditur in Diabete. Vidi Lipsiæ murarium quendam Diabete affectum qui se ferme diffluere per mictionem affirmabat, nam se in dupli majore quantitate excernere lotium referebat, quam assumtus fuisset potus, conquerebatur simul de virium prostratione, siti nimia, & aciditate oris. Refert etiam Amatus (cc) quendam ex vini meracioris potu & chretami s. fœniculi aut petrozelini marini dicti muria conditi largiore usu in Diabetem incidisse, ita ut quicquid biberet simul & quale assumeret, per urinam reddere, conjuncta intensissima siti, cogeretur. Vidimus jam excretionem plus debito augeri. Aciditatem vero & meatum Urinæ constringere, & exasperando molestiam inter mingendum producere posse, sequentes docebunt historiæ (dd) Paullini narrat, virum quendam 67. annorum exiguo etiam potu cuiuscunque vini vel acido sumto statim Ischuriā pafsum fuisse. Neque abs re fore arbitramur si Dodonæi (ee) relationem adjiciamus: Vir senex 82 annorum

(cc) *Libr. citat. Cent. II. Curat. 94. p. m. 233.*

(dd) *Christoph. Franc. Paullini obser. Med. Physicar. obs. 19. p. m. 23. in appendice M. N. C. D. II. A. 17.*

(ee) *Remb. Dodonæi obs. medicinal. Exemplor. r. gr. Hadervicii 521. 80. Cap. 48. p. m. 81.*

rum cum juvenis esset, vini potatione delectabatur, sed haud alterius quam Rhenani, præteritis 80. vitæ annis multo parcus & raro admodum vino Rheno-no usus nec citra offensam bibere potuit: Si quando enim eum Rhenanum assumere contigit, etiam in exigua quantitate, mox illi stillicidium Urinæ valde molestum fuit. Ita alium stranguria correptum legimus apud Ettmullerum : (f) Vir ætatis consistentis nephriticis & podagricis affectibus crebrius obnoxius, ex hyemis frigore contrahit tussim ingentem, accedit levior invasio arthritica circa manum dextram, cubitum & genu sinistrum: Medicus huic exhibet spir. sal. armoniaci cum dimidio spir. cochl. ex quo Podagricus affectus cessat. Hinc secunda vel tertia die gravis dolor in lumbis cum intensissimo vesicæ dolore supervenit, ita ut continuum mingendi conatum admodum dolorosum perciperet, paucam tamen urinam emitteret, cuius causam proximam, vitiosum acidum urinæ permistum, esse constituit Autor.

§. X.

In sensibili transpiratio quantum conducat ad sanitatem conservandam à Medicis hujus ævi jam satis demonstratum est, imo & deplorandus status, in quem obstrukione vel privatione ipsius conjiciuntur ægri, luculenter demonstrat damnum exinde proveniens. Causam vero & huic affectui præbet humor fæpius nominatus acidus, quamprimum enim in ventriculo collectus chylificationem debitam destruit, occasionem

C

suppe.

(f) L. c. Cas. 45. p. m. 1537.

suppeditat ad majorem collectionem seri pituitosi, quod tandem & sanguini permixtum, obstrunctiones, tumores, decolorationes &c. producit, quales tam in Cachexia quam in Hydrope, quae saepius in uno subjecto conveniunt, quotidie offendimus. Exemplum unum Cachexiae cum imminente Hydrope, in viro vi- ni potatore strenuo, & alterum in Ancilla Cachexia scabiosa ad Hydropem inclinante ex nutrimento partium per acre acidum viscidum destructo, notavit Ettmullerus. (gg) Et apud Mercuriale (hh) legitur hi- storia Principissae cuiusdam Cachexia cum hypochon- driorum tensione, appetentia laesa, nausea, frustrata semper nutritione & frigiditate stomachi laborantis. Aliam historiam Hydropis a Patino conscriptam his verbis (ii) legimus : Venetus quidam Vincentiae fa- mulans, vinumque ad hospitium del Capello nomina- tum distribuens, in tanta quantitate ejusmodi vinum hausit, ut ejus animales spiritus non modo ssvavem re- focillationem, sed inopinatam perversionem saepissi- me sentirent. Tandem morbo opprimitur, macilen- to corpore, facie pallescente, in omnium partium tu- mores hydropicos incidit.

§. XI.

Ad febrium nunc classem accedentes præmone-
re lubet, opinionem illorum qui statuunt omne fri-
gus

(gg) I. c. Caf. 40. p. m. 1509. & cas. 39. p. m. 1507.

(hh) Hieron. Mercurial. Consultat. Med. Venet. 1624. Fol. Tom. 3.
Conf. 140. p. m. 225.

(ii) Carolus Patinus Misc. N. C. D. II. A. 10. obs. 123. p. m. 216.

gus ab acido, calorem & æstum vero à bile produci, infirmo niti fulcro. Si enim observationes de die in diem factas æquo animo pensitare velimus, comprehendemus, subiecta interdum bile repleta morbis frigidis obnoxia, & alia in quibus humor acidus abundant, calidis exposita esse morbis. Sed ne nimium digrediamur à scopo, placet ex observatione Præceptoris mei Lipsiensis omni observantiæ cultu jugiter de venerandi Dni Doctoris Rivini, adducere exemplum honoestæ puellæ febre ardente continua per aliquot dies laborantis, usque dum acida manifesta evomeret, quo facto statim levamen sensit. (kk) Febris algidæ mentionem facit Sylvius in Viro quodam cui caput dolebat per octo jam dies cum dolore lumborum, alvo laxa, agrypnia, continuo frigore ex lumbis exsurgente versus caput, unde hujus gravitate & vertigine vexabatur, quamprimum corpus moveret, & circa ullum caloris p. n. sensum. Spiritum acidum hic nimiam effervescentiam in pituita facere statuit Autor Casum fere similem notavit Forestus: (ll) Homo pituitosus ac nonnihil melancholicus febre quotidiana corripitur, cum ingenti ob phlegma acetosum frigore, ita ut ægrotus sibi ossa frangi putaret, aderat sapor acidi in ore, capit is gravedo, ventriculi indigestio, hypochondriorum inflatio & latus calor. Febrium denique Erraticarum aliarumque historias anneximus (mm)

C 2

Fo.

(kk) Franc. de le Boe Sylvii Casuum Medicinal. p. D. Merianum Traject. ad Rhen. 1695. 40. edito Cas. 53. p. m. 32.

(ll) Lib. III. Observat. 25. p. m. 86.

(mm) loc. c. Obj. 45. p. m. 106.

Forestus scribit (Sororium suum Theylingium) Alcmariae 1554. cum autumno liberalius vino se ingurgitasset, ac diversis ferculis implevisset, in erraticam febrem cum capitis dolore, & tussicula levi admodum, incidisse, dein ex nimio esu fructuum horariorum febre tertiana continua maligna periisse, similem casum recenset alibi. (nn) Et Hannemannus (oo) observavit Mercatorem quendam cum quinque filiis ex copiosissime comestis fructibus ribium febre corruptum fuisse.

§. XII.

Dolores artuum uti Arthritis vagae & fixae, Podagra Gonagra, Malum Ischiaticum & chiragra sunt quoque producta ejusdem materiae peccantis, atque ideo ab initio plerumque conqueruntur affecti de ructibus acidis, & vomitus patiuntur acidos, vel bilis æruginosæ.

§. XIII.

Si denique omnium morborum species perlustrare, & singulatim recensere velimus, quæ ex hac morbifica causa proveniunt, pagellæ hæ ad Dissertationem tantum destinatæ non sufficerent: Mamiam enim Lipothymiam & Aplexiam, convulsiones hypochondriacas, hystericas & spasmodicos cordis affectus, scorbutum, constipationem alii, imo & sudores saepe manifeste acidum spirantes & plures doloribus rodentibus &

(nn) Libr. II. Obf. 25. p. m. 44.

(oo) D. Joh. Lud. Hannemann M. N. C. D. II. A. I. O. 73. p. m. 177.

& lancingantibus stipatos affectus ad horum censum referre possemus. Quemadmodum enim, ut vulgo dicitur, unius rei plures possunt esse causæ, ita & in respectu ad morbos, multorum licet inter se non convenientium una eademque existere potest origo. Nam uti ex adductis exemplis patet, acidum interdum appetitum auget, interdum destruit, interdum ad excretionem stimulat, quandoque impedit. Itaque necesse est ut Medicinam facturus acutius prius in causam inquirat, quam medicamenta præscribat, quo de eorundem effectu certior esse possit.

§. XIV

Morbi quoque externi, ut sunt tumores varii generis, & ulcera omnium partium, magis exacerbantur & difficillime ad consolidationem tendunt præsente acido. Sic erysipelas interdum gravissima habet symptomata, & tumor podagricus magis dolet, & ulcera maligna semper pejora redduntur ex acido primarum viarum, quod etiam de vulneribus ab extra inflictis, præsertim capitum, sentiendum erit.

§. XV.

Nunc itaque progredimur ad curam morborum **ex acido oriundorum**. Hæc absolvitur in nonnullis evacuantibus, sudoriferis & diureticis, in aliis præcipitantibus, absorbentibus & temperantibus, iterum in aliis incrassantibus: Si itaque malum in ventriculo hæreat, quod vel pondere incommode parit, vel acrimonia sua molestum est, vomitoria, nisi aliud quid prohibeat, locum habent. Nominavimus in §. 2. dolorem

rem gravativum stomachi ex lactis coagulo ortum, in §. 3 appetitus aucti &c. exempla dedimus. Cui itaque incongruum videbitur, si quis ♀ vitæ, Tart. Emeticum, Tubith. minerale, infusum vitr. antimon. herb. gratiolæ, in debilioribus autem subjectis Syr. Rubi Idæi Emet. Rad. Ipecacuan. & Asarum præscriberet. Evacuantia per inferiora neque sua laude sunt privanda: Ubi enim vires non respondent medicamentis fptioribus, mitioribus opus est. Sic in appetitu destruto, præprimis cum debilitate conjuncto, si quis radicem Jalappæ, Bryoniæ, & mechoacannæ, extract. Rhabarb. Panchimagog. Croll. vel etiam Res. Jalap. & sciamonei in moderata tamen dosi exhiberet, exoptatum effectum impetrabit. His quoque annumeramus clysmata cum anodynis composita, & si nostro judicio salia lixiviosa fuerint admixta in torminibus nunquam frustra adhibentur.

§. XVI.

Inter præcipitantia Lim. ♂t. vel (quiminera ferrri est) Hæmatites primatum obtinent. Huc quoque Mercuriale in Cachexiæ cura §. 10. citat. respexisse nobis persvasum habemus, quando hujus mali curam in Liniat. Martis assumptione positam esse, censet. Et Tillingii (pp) observatio docet virum quendam à febre erratica cum œdemate pedum restitutum fuisse unico Magisterii Martis aperitivi usu. Absorbentia quod attinet, eo respiciendum, ne √ea cum lapidosis con-

(pp) D. Matib. Tillingius in M. N. C. D. II, A. 2. Obs. 65, p. m.
141. & 42.

confundantur, alias curationis spe frustrabimur. Itaque summo jure ea quis propinare potest ægroto in Diabete, & sialvus præternaturam laxaaderit. Terra enim ut sigillat Strigensis, Goldbergensis, Lubacensis, &c. Bolus Armena alba & rubra quamprimum cum acido combinantur stypticam vim accipiunt. Lapidosa vero ut lapid. oc. canc. testæ ovorum Struthionum, Corallia, Crystallus montana &c. acido conjuncta in salsum mutantur, in Diabete itaque minus convenientia esse experientia quotidiana docet. Cæterum Martialia cruda alcoolosita, robustioribus, cum arenosis ex R. A. v. g. C. C. & Ebore ustis, nec non Unicornu fossili, quam optimè exhibentur, debilioribus verò c. antispasmodicis fixis, ut dente Hippopot. Unic. mar. ungul. alc. Lapis tantum Hæmatites.

§. XVII.

Neque salia fixa & lixiviosa utriusque formæ, contemnenda sunt, quippe observavit Dodonæus (§. 9. cit.) senem istum abischuria lixivio ex ovorum testis parato, restitutum fuisse. Hoc nomine quoque oleum Φι p. d. ad 3j. c. Cerevisia bis de die sumendum, Liquor ∇ foliat. Φι & Θia fixa omnis generis speratum dabunt effectum. Curam quoque accelerabit si quis pro scopo temperandi decoctis ex Rad. Chinæ, Sarsæparillæ & altheæ, herba aquilegiæ & pini strobulis junioribus uti velit.

§. XVIII.

Ultimo & incrassantia præcipue οο Φι. per deliqu.

qu. vel Liqu. √ fol. mixta, locum habent, dum par-
tes acres istas involvunt, & ne amplius vellicare vel
stimulare possint, secum rapiunt, v. g. Gum. Arabi-
cum, Cerasorum Tragacantha, Mastiche, Thus &c.
Nil restat, nisi ut DEO T. O. M. pro viribus clemen-
tissimè concessis submissas persolvamus grates, &
L.B. ut huic labori nostro faveat, officio-
se rogemus.

T A N T U M!

COROLLARIA.

I.

*M*ulti morbi sunt incurabiles non ob remediornm defectum,
sed Medicorum imperitiam.

II. *Medici nomen haud meretur, qui neque morbum,*
neque remedia convenientia mature adhibere novit.

III. *Notitia Plantarum ad minimum in officinis usu-*
alium, qui caret, etiamsi Arcana majora crepet, Medicis an-
numerari non meretur.

IV. *Qui in Medicina non ultra vulgus sapit, merito*
cedere debet Pharmacopæo, Chirurgo, Obstetrici, aliisque
in arte sua magis exercitatis.

S. D. G.

